

Badische Landesbibliothek Karlsruhe

Digitale Sammlung der Badischen Landesbibliothek Karlsruhe

Joh. Jonstoni Thaumatographia Naturalis

Jonston, Jan

Amstelodami, 1661

Caput XXI

urn:nbn:de:bsz:31-97032

mortuus est, si frigus fugiunt. *Nolanus problem. 225.*
 Qui ficibus frequenter vescuntur, tentari putantur
 iisdem. Causam in illarum succo ponit *Nolanus*. Hic
 enim in venis adactus concaléficit sanguinem, atque
 humidum despumescentemque efficit, qui quia natu-
 ra sua ad cutem tendit, subque illa retentus putrescit,
 in pediculos vertitur. Certe ficus comestantes tubercu-
 la & verrucas in cute oriri sentiunt. *Pulex* animal
 exile est, aurea tamen ab artifice Africano revinctum
 catena fuisse, & saluisse tradit *Scaliger Ex 59. & 326.*
 Frequentissime partem illam, qua subest inguinibus,
 lancinat. Quarta die tumor crescere incipit, ad justam
 cum pervenerit magnitudinem pisum superat, & sca-
 ter lendinibus. Radice *Anchuse* necantur: quin sal-
 via contusa & oleo ac aceto permista, contra eosdem
 illinitur. Optimum *bombicinum*. In hoc enim, lecto
 si imposueris, congregari dicuntur. *Franciscus Geor-
 gius Venetus* *Minovitonus*, acrius in lino infestare
 scribit, quam lana. Causam addit, quia ex eodem
 fonte *Aquilonari* prodeunt. Vtrumque enim *Arietini-
 um* est & *Martium*. At *Aldrovandus* fieri existimat,
 quoniam linum quam lana corpori vicinior est. Vnde
 in plicis camisiarum reperiuntur esurientes, in femo-
 raliū saturi, ubi & ova deponunt.

CAPUT XXI.

DE SCARABEO
& SEPIA.

IN Thraciæ Chalcida, quæ proxima Olyntho, pau-
 lo major area est, *Cantharoletron* dicitur. In eum
 ubi aliquod pervenerit animal, ab horrefcentia disce-
 dit, incolome tamen, solus scarabeus, locum cir-
 cum ambiens, fame denique emoritur. *Arist. in ad-
 mirandis*. Inter scarabeos, femina non nascitur, sed
 eam, cum rotundam ex bubulo stercore effuxit figu-
 ram, vultu convolvit averso, femine emissio gignit.
Clemens Alex. l. 5. Strom. Carabos tamen per coitum

gigni, autor est *Aldrovandus*. Deprehendit enim mensē Majo spacio duarum horarum, albos sceminam peperisse vermiculos plusquam 40. Curculionis figura. Erant autem erucæ parvæ bombycum progredientes modo, quæ quinque horarum spacio, folliculos tenuissimo constantes filo, candidos, magnitudine seninis melopeponis sine cortice, cæpetunt texere. *l. 4. de insectis*. Generatione eorum prodi interlunium *Ruellius* prodidit *l. 2. de stirp. c. 150*. Quandoquidem, inquit, ex bubulo stercore pilulam ab ortu ad occasum rotando versans, in orbis imaginem effingit; quam 28 diebus factò humi scrobulo, adobruens, tantisper celat, dum signiferum ambiens luna ad inter menstruum revertens fileat; aperto tum orbiculo coitus siderum denuntians, novam prolem edit, nec aliam nascendi novit originem. Divisi etiam vivunt, sed rosarum odore interimuntur. *Sepia* ova edunt, myrti nigris baccis similia. Cohærent inter se ad speciem racemi, indivulso nexu. Mas enim quendam superfundit humorem, cujus compinguntur lentore. Pariunt omnibus anni temporibus, perseverantque in edendo ovorum numero dies quindecim. *Arist. hist. 5. c. 12*. Cum se à peritis piscatoribus captari cognoscit, atramentum suum emittit quo circumfusà, ab eorum removeatur oculis. Promus cidibus pisciculos venatur. Vnde *Oppianus*,

*Callida furtivam meditatatur Sepia prædam
Nam tenues molli surgunt de vertice rami
Extenti tanquam funes, quibus ipsa natantes
Pisciculos, jactis veluti capiuntur ab hamis,
Pendens à sulva caule deprehendit arena.*

Anaxilaus apud *Plinium* tradit tantam atramento vim inesse, ut in lucerna addito, Æthiopes videantur, priori abluto lumine.